

lectus sine voluntate, quam voluntas sine operatione, quia magis intrinseca est operatio potentiæ, quam una potentia alteri potentiæ; ergo non potest Vasquez vitare inconveniens, quod intendit in hæretico, scilicet, quod non ponat aliquid frustra.

XXI. Ad id, quod adducit de hæretico ponente in Christo carnem animatam anima rationali, et intellectuali, respondetur, quod statim subjunxit, hæreticus verba a nobis allata supra ad primum, quod talis caro animata non movebatur, nec erat mobilis ab anima, sed a divinitate; unde excludebat potentiam motivam humanam, quæ est voluntas rationalis in ordine ad actiones corporales.

XXII. Denique constat, quam præsumptuose locutus fuit Vasquez dicendo, quod constat plane, hæreticos solum operationem negasse, et iterum repetit quod liquido constat, hoc idem numero sexto, cum Agathon papa in epistola citata dicat de eisdem hæreticis: « Tam varie, tamque confuse locuti sunt, ut vix satis constet, quo sensu errorem suum asseruerint, » ut bene expendit Suarez hic disp. xxxvii, sess. 1. Si ergo pontifex inquit, quod vix constat in quo sensu errant hæretici propter varietatem locutionis illorum, quando illos præsentibus habebat, et cum illis disputabat, quomodo Vasquez tam planum, et liquidum sensum illorum invenit?

## ARTICULUS II.

*Utrum in Christo fuerit aliqua voluntas sensualitatis præter rationis voluntatem?*

I. Conclusio est affirmativa. Probatur ratione in corpore: Christus assumpsit naturam humanam; ergo

naturam animalis. Patet consequentia, quia animal continetur in homine, sicut genus in specie; et qui suscipit humanitatem non potest non suscipere genus; sed ad animal pertinet appetitus sensitivus, qui sensualitas dicitur; ergo suscepit appetitum sensitivum. Iste autem in quantum est natus obedire rationi dicitur rationalis per participationem, et quia voluntas est in ratione, potest etiam dici sensualitas voluntas per participationem. Ubi constat, quod sensualitas non est nomen vitii, sed nomen potentiæ sensitivæ.

II. Hic solum est notandum, quod in Christo nullus fuit actus indeliberatus præveniens rationem in parte sensitiva; quod ex eo patet, quia major fuit rectitudo Christi, quam status justitiæ originalis, sed in illo statu non habuit homo istos actus indeliberatos: ergo nec Christus. Et ratio hujus est, quia isti actus oriuntur ex appetitu sensitivo ex rebellionem contra rationem ad proprium objectum sensibile appetitus; sed talis rebellio non fuit in Christo, ut docet S. Thomas supra quæstione xv, articulo secundo; ergo. Et denique, quia propter perfectionem scientiæ non poterat præveniri ratio ab appetitu sensitivo, et sicut corpus in ultima resurrectione propter conjunctionem cum anima beata non poterit habere tales actus indeliberatos, multo minus corpus Christi, qui etiam fuit comprehensor, et quamvis simul esset viator, ut daretur locus passioni dotes corporales non fluxerunt ad corpus ex dispensatione; hæc dispensatio solum se extendit ad hoc, quod corpus fiat passibile, non peccabile, et ideo quantum ad peccabilitatem nulla fuit dispensatio in Christo.

## ARTICULUS III.

*Utrum in Christo fuerint duæ voluntates quantum ad rationem?*

I. Conclusio: Si loquamur de potentia voluntatis est una sola voluntas humana in Christo: si loquamur de voluntate, quæ est actus, alia est voluntas, quæ est natura, et alia, quæ est ratio.

II. Exclis jam duobus præcedentibus articulis, voluntate increata, seu divina, et voluntate sensualitatis a mente humana Christi, quia utraque distinguitur a voluntate rationali, una per excessum, et alia per defectum, in hoc articulo restabat inquirere, si quantum ad rationem humanam erant duæ voluntates in Christo. Et hoc resolvit D. Thomas conclusione posita. Et probatur, quia una potentia sufficit respectu finis, et eorum quæ sunt ad finem; actus vero diversus est; ergo si voluntas sumatur pro potentia, una solum est; si autem pro actu diversa est, quatenus est diversus actus ille, qui tendit ad finem, et ille qui tendit ad media, primus vocatur voluntas ut natura, secundus vero voluntas ut ratio: primus vocatur a Damasceno thelisis, secundus bulisis: ex quo constat, quod voluntas potest accipi et pro potentia, et pro actu, ut dictum est articulo primo.

## ARTICULUS IV.

*Utrum in Christo sit liberum arbitrium?*

I. Conclusio est affirmativa. Probatur in argumento Sed contra ex illo Isaia vii: *Ut sciat reprobare malum, et eligere bonum*, quod est actus

liberi arbitrii. Ratio in corpore est clara, quia in Christo fuit duplex actus, ut dictum est articulo præcedenti, unus ad finem, alter ad media, qui est electio, seu ratio, et iste est proprius actus liberi arbitrii; ergo ponendum est in Christo.

II. In solutione ad primum notanda est explicatio Damasceni, qui libro iii de fide, capite xiv inquit, quod in Christo non fuit electio, et idem dixerat libro ii, capite xxii, et S. Thomas explicat quod intelligitur secundum quod electionis nomine importatur dubitatio includens ignorantiam, quæ non fuit in Christo, ut habetur supra quæst. xv, art. iii, et sic inquit D. Thomas, quod electioni accidit dubitatio secundum quod est in natura ignorante, sed sine tali defectu potuit esse electio in Christo, sicut in Deo, et idem repetit ad secundum.

III. In solutione ad tertium tetigit D. Thomas punctum difficile de compositione impeccabilitatis Christi cum ejus libertate, quod aliqui commentatores hic disputant; sed nos supra quæstione xv, articulo primo de hoc ex professo egimus, et ideo hic illud omittimus. Etiam hic solet disputari de actu potissimo dilectionis Dei, quomodo potuit esse liber in Christo. Sed de hoc quæstione sequenti, in materia de merito dicemus.

## ARTICULUS V.

*Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinæ voluntati in volito?*

I. Prima conclusio: Voluntas sensualitatis potuit velle in Christo aliud, quam Deus, et non conformari voluntati divinæ in volito.

II. Secunda conclusio: Voluntas rationalis secundum actum in quo

operatur per modum naturæ, poterat velle aliud, quam voluntas divina.

III. Tertia conclusio : Voluntas rationalis secundum actum per modum rationis semper volebat idem, quod Deus.

IV. Duæ primæ conclusiones probantur a D. Thoma ex eodem principio tradito ab ipso supra quæstione xiv, articulo primo ad secundum, scilicet, quod Christus ante passionem, ex quadam dispensatione permittebat carni agere, et pati, quæ sunt ei propria; et idem est de omnibus viribus animæ. Et ratio hujus erat, ut vere, et proprie pateretur, hoc est, cum dolore, et tristitia, sicut alii homines : sed passio Christi fuit contraria ejus sensualitati, quia pœnæ, et dolores sunt contra bonum naturæ, utpote destructiva illius : ergo voluntas sensualitatis recusabat dolores sensibiles, et etiam voluntas per modum naturæ volebat non pati mortem contrariam sibi; ergo non erant conformes voluntati divinæ in voluto materiali, sed volebant aliud, quia voluntas Dei erat ut Christus dolores, et passiones, et mortem pateretur, ex ordine ad finem humanæ salutis.

V. Tertia conclusio probatur, quia Christus dixit : *Non sicut ego volo, sed sicut tu; non mea voluntas, sed tua fiat.* In quibus verbis explicat conformitatem divinæ voluntati, ex electione, et deliberatione circa idem volitum, quod eisdem verbis refugere ostendit dum dicit : *Non mea voluntas; non sicut ego volo :* elare ergo constat conformitas rationis cum divina voluntate in ly fiat, et non conformatio cum sua alia voluntate.

VI. Circa duas primas conclusiones notanda est solutio D. Thomæ ad tertium, ubi ponit differentiam inter Christum, et alios beatos;

alii enim beati nullam actionem habent, quæ non sit conformis voluntati divinæ ex parte sensualitatis, seu ex parte voluntatis ut natura; at vero Christus erat simul viator, et comprehensor, et quatenus viator habebat carnem, et corpus passibile per dispensationem divinam, ut dictum, est; et ideo dabatur locus ut voluntas sensualitatis, et rationis ut natura non conformaretur voluntatis divinæ in voluto materiali. Post resurrectionem vero cessavit hæc ratio, et ideo post resurrectionem conformabantur istæ voluntates cum voluntate divinæ in voluto materiali; et idem est de aliis beatis. Et hoc notat Cajetanus hic, ad explicandam solutionem S. Thomæ ad primum, et inducit illam distinctionem ex parte objecti, vel subjecti, quia videlicet objectum ex se abstrahit a conformitate; ex parte vero subjecti conformes sunt in beatis, et in Christo post resurrectionem actus utriusque voluntatis.

VII. Circa secundam et tertiam conclusionem occurrit oppositio, quia secunda conclusio, quæ assertit de voluntate ut est natura, quod in Christo non est conformis voluntati divinæ, vel intelligitur quantum ad actus inefficaces, vel efficaces : si solum quantum ad actus inefficaces nulla erit differentia inter voluntatem, ut est natura, et ut est ratio, quia etiam voluntas ut ratio, quantum ad actus inefficaces potest non conformari voluntati divinæ in voluto materiali, et consequenter tertia conclusio absolute etiam debebat negare conformitatem in voluntate ut est ratio, sicut secunda conclusio negat de voluntate ut est natura, propter eandem rationem : si vero intelligatur, quantum ad actus efficaces, inconveniens est, quod aliquis actus efficax Christi non conformetur

cum voluntate divina, si quidem neque in beatis ponitur.

VIII. Respondetur, quod secunda conclusio non intelligitur quantum ad actus efficaces de voluntate ut natura, quod expresse dixit D. Thomas in iii, dist. xvii, quæst. i, art. ii, quæstiuncula prima in corpore sic : « Patet igitur, quod voluntas ut natura imperfecte vult aliquid, et sub conditione nisi feratur in ipsum, sicut in finem; ex his potest patere qualiter voluntas rationis divinæ voluntati in Christo conformabatur in voluto, quia voluntas ut natura nunquam in Christo movebatur ad aliquid, sicut in finem, nisi quod Deus vult, et cum voluntas ut ratio nunquam moveatur nisi ex ratione finis; patet quod voluntas ut ratio conformabatur divinæ voluntati in voluto; sed voluntas ut natura mota in aliquid non sicut in finem, non conformabatur divinæ voluntati in voluto, quia sic Christus volebat non pati; hoc autem non est perfecte velle aliquid, sed sub conditione: unde a magistris velleitas appellatur. » In his verbis S. Thomas distinguit de voluntate ut natura, et ut ratio, et etiam de voluntate ut natura subdistinguit, aut quando movetur in aliquid sicut in finem, et in hac consideratione ponit conformitatem etiam, aut quando movetur in aliquid absolute non sicut in finem, et iste motus est imperfectus, conditionalis, et velleitas, et de hoc docet, quod non est conformis voluntati divinæ in voluto. Quod etiam dixit infra quæstione xxi, art. iv, quantum ad istum actum imperfectum, et correspondet doctrinæ hujus articuli.

IX. Ad rationem dubitandi respondetur primo, quod voluntas ut ratio in Christo non habuit actus inefficaces, quod satis indicat S. Thomas in hoc articulo, et in quæstione xxi infra, articulo iv citato,

ubi postquam dixerat : « Quod secundum motum voluntatis simplicis, quæ consideratur ut natura non simpliciter volumus, sed secundum quid, etc. » subdit : « Secundum actum voluntatis rationis Christus nihil aliud voluit, nisi quod scivit Deum velle. » Et in tertia quæstiuncula citata in corpore inquit : « Eorum quæ ordinantur ad finem habet voluntas ut ratio ultimum iudicium, et perfectum. » Et de hac in verbis allatis inquit, quod conformatur semper voluntati divinæ. In hoc modo dicendi nullam difficultatem habet objectio, quia bene posita est conformitas in tertia conclusione, et bene negata est in secunda specialiter, quia actus inefficaces sunt communiore in voluntate ut natura, et D. Thomas solum vult, quod possit esse non conformis, et ad hoc sufficit quantum ad aliquos actus. Et hæc solutio est Cajetani hic, et aliorum.

X. Secunda solutio asserit, quod in Christo voluntas ut ratio habuit actus etiam efficaces, et inefficaces. Fundatur hæc solutio primo in D. Thoma in iii, distinct. xvii, quæst. i, art. ii, quæstiuncula prima citata, ubi inquit : « Patet igitur, quod secundum voluntatem rationis conformabatur divinæ voluntati in voluto, quantum ad omne, quod perfecte, et absolute volebat; non autem quantum ad id, quod volebat imperfecte. » Ponderatio est, quod secundum voluntatem rationis distinguit perfecte, et imperfecte. Sed hæc auctoritas nihil favet, quia ibi S. Thomas accipit voluntatem rationis, ut contraponitur voluntati sensualitatis, de qua immediate loquitur, et sic accipit voluntatem rationis pro ipsa potentia, quam ibi immediate ante diviserat ut natura, et ut ratio, et ut natura appellat imperfectam, et ut ratio perfectam.

XI. Deinde, fundatur hæc solutio, quia in Deo, et in beatis dantur actus inefficaces, quia Deus vult omnes homines salvos fieri, et hoc etiam possunt velle beati eodem modo, et sic possunt poni in Christo actus inefficaces in voluntate ut ratio. Sed potest responderi, quod sufficiebat ponere illos in Christo absolute; sed in hac solutione, quod dantur in voluntate ut ratio, respondentur ad rationem dubitandi, quod quando S. Thomas loquitur in secunda conclusione de voluntate ut natura, loquitur de illa absolute, et secundum se, hoc est, sine ordine ad finem, et sic secundum se considerata potest non conformari voluntati divinæ, et sic etiam est imperfecta. In tertia conclusione similiter loquitur de voluntate ut ratio, et absolute est perfecta, et absolute conformatur voluntati divinæ, ut habet D. Thomas in verbis immediate alliatis in hac solutione.

XII. Præterquam, quod istæ voluntates inefficaces, si dantur in Christo quantum ad rationem sicut in beatis, et in Deo, erunt etiam conformes voluntati divinæ adaptando singula singulis, scilicet inefficax Christi inefficaci Dei, et efficax Christi efficaci Dei, sicut contingit in beatis etiam. Hoc autem non habet voluntas ut natura, cujus objectum abstrahit a conformitate, ut in notabili præcedenti allatum est ex Cajetano hic; et sic non semper est conformis.

XIII. Solum potest esse objectio, quod nulla voluntas efficax Christi ponitur, quæ non conformetur voluntati divinæ, et consequenter, quæ non impleatur, et sic explicatur voluntas, quæ non impletur, nec conformatur de voluntate inefficaci imperfecta. Sed contra hoc est, quod in sexta Synodo generali in epistola Agathonis ex aliquibus locis sacre Scripturæ probatur contra Monothe-

litas, quod fuit in Christo voluntas humana præter divinam, ut diximus supra in articulo primo hujus quæstionis, et vis rationis consistit in hoc, quod in aliquibus locis sacre Scripturæ ponitur, quod voluntas Christi non fuit impleta, ut Marci VII: *Voluit occultari, et non potuit latere, et in aliis locis jam allatis: Non mea voluntas, sed tua fiat; non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ex quo inferebatur a pontifice: Hæc voluntas Christi non impletur; ergo est humana, nam si esset divina adimpleretur. Hoc tamen argumentum non haberet vim si non loqueretur de voluntate humana efficaci, quia de voluntate inefficaci nihil probat, quia voluntas divina inefficax etiam non semper impletur, ut illa, qua: *Vult omnes homines salvos fieri*, supponendo quod est de omnibus, et singulis.

XIV. Respondetur primo, quod loquitur pontifex de voluntate humana absolute, ut dictum est in solutione, et illa est voluntas ut natura absolute, et secundum se considerata, et bene arguit, quod de voluntate divina secundum se, et absolute considerata non potest dici quod non impletur; sed quando dicitur, quod non impletur voluntas divina, debet esse cum addito; et si absolute de aliqua voluntate Christi, et sine addito conceditur, quod non impletur, debet esse voluntas humana.

XV. Secundo respondetur, quod voluntas efficax stat multipliciter, ut diximus prima parte de voluntate Dei, disp. v: vide articulo primo, specialiter numero VII, et infra disp. III, art. I, notabili II, efficacia creata potest impediri, et bene potest aliqua voluntas creata aliquid velle efficaciter, sed juxta media, et vires proprias, et sic potest frustrari ex alia superiori causa: ita voluntas humana Christi, qua volebat latere, et non mori poterat dici efficax, sed

ut humana, si quidem non fuit impleta. Si autem esset efficax divina impleretur, verum est quod secundum quid potest dici efficax in hoc sensu, sed simpliciter inefficax. Ita exponit D. Thomas infra quæst. XXI, art. IV ad primam illam petitionem Christi: *Transeat a me calix iste*, Matthæi XXVI, ex Ambrosio, Origene, et Chrysostomo in ultima expositione, et sic concludit: « Quod ad instructionem nostram volebat demonstrare nobis suam voluntatem naturalem, et motum sensualitatis, quem sicut homo habebat. » Et hanc voluntatem naturalem in corpore dixit esse velleitatem.

XVI. Tertio respondetur, quod non probat pontifex esse voluntatem humanam solum, quia non impletur, sed etiam, quia a Christo ostenditur distincta a voluntate divina, et non conformis illi dicenti: *Non mea voluntas, sed tua fiat; non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ex quo bene probatur, quod sit in Christo aliqua voluntas humana.

## ARTICULUS VI.

*Utrum in Christo fuerit contrarietas voluntatem?*

I. Conclusio est negativa. Probat a D. Thoma in argumento Sed contra ex epistola Agathonis recepta in sexta Synodo generali, actione quarta ubi dicitur: « Prædicamus duas voluntates non contrarias. »

II. In corpore probat, quia contrarietas est oppositio in eodem circa idem, unde deficit contrarietas si unum secundum unam rationem ametur, et secundum aliam rejiciatur, et sic quamvis motus sensualitatis, et motus voluntatis ut natura refugerent mortem, et voluntas divina, et voluntas ut ratio volebant

mortem Christi, non erat contrarietas, quia ratio erat valde diversa, scilicet, aut ut malum naturæ, aut ut bonum humano generi. Esset autem contrarietas si voluntas inferior retardaret voluntatem actus superioris, aut voluntas superior impediret actum inferioris, quod non contingit, quia voluntas sensualitatis, vel natura non retardabant executionem voluntatis divinæ, nec voluntas divina impediabat sensualitatem; imo volebat, quod voluntas ut natura, et sensualitas mortem refugerent.

III. Conclusio D. Thomæ est de fide, nam præter sextam Synodum allatam habetur etiam in Concilio Lateranensi primo, canone XV. Et non solum est de fide quantum ad voluntatem rationis, sed etiam quantum ad voluntatem sensualitatis, quod illa non fuit contraria voluntati divinæ. Verum est, quod si aliquis ita explicet contrarietatem, ac si dicat non conformitatem in voluto materiali, est quidem sensus catholicus, ut vidimus articulo præcedenti; tamen modus loquendi erroneus est, quia contrarietas in rigore terminorum explicat oppositionem, quæ ab actibus Christi omnino rejicienda est.

IV. Et ab inconvenienti patet error contrarius, quia si duo actus in Christo essent contrarii, et unus erat bonus, alius debebat esse malus; vel non erant contrarii, et unus alium expelleret, et hæc pugna actuum redundaret in suppositum, quia suppositum, aut non poterat actuum convenientiam causare, aut poterat. Si poterat, et nolebat, deficit in gubernatione: si non poterat, deficit in potentia, et denique hæc contrarietas oriretur ex fomite peccati, et ex rebellionem virium inferiorum contra rationem, vel rationis contra Deum, quod totum est alienum a perfectione Christi.